

LIBER SECUNDUS

SYNTAXIS

CAPUT I

DE CONCORDANTIIS (1)

ARTICULUS I. DE NOMINE CUM VERBO [221-225]

243. Verbum personale finiti modi antecedit subjectum in nominativo ejusdem numeri et personae. (Cic. Tusc. 5. 20). *Tyrannus Syracusanorum* FUIT DIONYSIUS. (id. Fam. 14. 8). *Si VALES, bene est; EGO quidem VALEO.* (Ter. Eun. 1. 2. 86). *QUIS hic LOQUITUR?*

(1) Operae praeitium visum est has notulas praemittere, tum ad eas partes, quas singulae voces in oratione obtinent declarandas, tum etiam ut aliquorum grammaticorum praecepta intelligas, si quando in ipsa sponte vel coactus incideris.

I. Propositio est vocabulorum comprehensio, quae aliquam sententiam exprimit. Quod si unico verbo sensum absolutum concludat, erit *simplex*; si plura verba, atque adeo propositiones, jungantur, *composita*.

II. ELEMENTA ESSENTIALIA PROPOSITIONIS SIMPLICIS sunt *subjectum*, de quo aliquid affirmatur aut negatur; *praedicatum*, quod de subjecto dicitur; et *verbum* quod utrumque conjungit: v. gr. ANIMUS EST IMMORTALIS.

Praedicatum vocatur *verbale*, quum in ipso verbo includitur: hoc autem evenit 1.º in verbis attributivis, quae ex se significant actionem, statum vel qualitatem subjecti: v. gr. Cicero SCRIBIT, puer DORMIT, Deus COLITUR. 2.º in verbo *sum*, quum tantum exprimit existentiam vel statum in loco: v. gr. Deus EST (existe Dios), ego SUM ruri.

Dicitur *praedicatum nominale*, quando est nomen (substantivum vel adjectivum) vel pronomen. 1.º Si integrum *praedicatum* exprimitur per nomen, quod ope verbi *sum* subjecto adscribitur, nomen vocatur *praedicativum*, et verbum *sum* appellatur *copula*: v. gr.

244. Prima ac secunda persona non explicantur nisi
1.º Quum altera alteri quodammodo opponitur. (Cic. Phil. 2. ad fin.). *De te TU ipse videris; EGO de me ipso profitebor.* (Tú mira lo que á ti te conviene; yo diré de mí lo que siento).

2.º Quum emphatice loquimur, id est, quum plus significamus quam dicimus. (Cic. Verr. 2. 3. 17). *TU innocentiior quam Metellus?* (¿Tú (siendo tan malvado) más inocente que Metelo?).

N. B. 1.º Verbum infinitum vel etiam integra propositio agit interdum partes nominativi generis neutrius et numeri singularis. (Ter. Heaut. 3. 2. 549). *Non est MENTIRI MEUM.* (Cic. Fam. 7. 3). *VACARE CULPA magnum est solatium* (Cf. n. 378).

N. B. 2.º Si non loquimur de persona certa, cum verbis activis usurpamus tertiam personam pluralis vocis activae modo sine subjecto, modo cum subjecto *homines*; cum verbis vero neutris tertiam singularis vocis passivae. (Cic. Parad. 6). *Non INTELLIGUNT HOMINES quam magnum vectigal sit parsimonia.* (id. Phil. 2. 44). *Ab hora tertia BIBEBATUR, LUDEBATUR, VOMEBATUR.*

245. Plures nominativi copulati vel non copulati verbum plurale desiderant in nobiliore persona positum. Prima nobilior est quam secunda, secunda quam tertia. (Cic. Att. 12. 55). *Hic nobiscum SUNT Nicias et Valerius* (id. Q. Fr. 1. 1). *Frons, oculi, vultus, persaepe MENTIUNTUR, oratio vero saepissime* (id. Fam. 14. 5). *Si tu et Tullia lux nostra VALETIS, ego et suavissimus Cicero VALEMUS.*

246. Quod si plures sint nominativi numeri singularis pertinentes ad tertiam personam, qui totum aliquid efficiant, saepe verbum singulare assumunt, maxime si de rebus inanimatis sit sermo. (Cic. Senect. 19). *Mens et ratio et consilium in senibus EST.* (id. Fam. 5. 8). *Senatus populusque Romanus INTELLIGIT.* (id. Att. 12. 25). *Mihi et res et conditio PLACET.* (id. Fam. 2. 6). *Dux nobis et auctor opus EST.*

247. Verbum cohaeret cum proximo nominativo, si unicuique singilla-

animus EST IMMORTALIS. 2.º Si praedicatum partim verbo, partim nomine continetur, nomen *praedicatum completivum* vocamus, verbum vero *copulativum*: v. gr. Cicero FACTUS EST CONSUL.

III. ELEMENTA ACCIDENTALIA vocantur *complementa*.

Complementum objectum illud est, in quod cadit actio verbi: quod si fit immediate, appellatur *directum*; *indirectum* vero, si mediate tantum: v. gr. Mater amat FILIUM. Da dexteram MISERO.

Complementum attributum est nomen (substantivum, adjectivum, pronomen, participium), quod substantivo additur ad hujus significationem contrahendam: v. gr. Lego *epistolas* CICERONIS. *Pueri INGENUI amant litteras.* At si nomen illud notam adjungit, quae subjectum aut ab aliis distinguatur, aut luculentius explanetur, dicitur *appositio*; quae saepissime ope substantivi exprimitur: v. gr. *Tullioli DELICIOSE nostrae. MAGNUS ille Alexander* vel *Alexander MAGNUS* (Cf. n. 363).

tim aptatur. Hoc autem saepe fit, quum subjecta vincuntur beneficio conjunctionis *aut, vel*, quum geminantur particulae (*aut-aut, vel-vel, neque-neque, quum-tum*), quum denique per anaphoram seu repetitionem subjecta iterantur. (Cic. Tusc. 5. 9). *Probarem hoc, si Socrates* AUT *Antisthenes* DICERET. (id. Off. 2. 20). *In hominibus juvandis* AUT *mores spectari*, AUT *fortuna* SOLET. (id. Att. 9. 10). *Nunc mihi* NIHIL *libri*, NIHIL *litterae*, NIHIL *doctrina* PRODEST.

N. B. 4.º Verbum, si priorem nominativum proxime antecedit vel subsequatur, cum ipso cohaereat. (Cic. Tusc. 1. 1). *Homerus* FUIT *et Hesiodus ante Romam conditam*.

N. B. 2.º Poetae atque historici nominibus collectivis ut *pars, vis* (multitudo), *uterque, quisque*, etc. verbum plurale adjungunt. (Virg. Aen. 4. 212). *Pars in frusta, secant, veribusque trementia* FIGUNT. (Unos los cortan á pedazos, y los espentan palpitantes en los asadores). (Caes. B. G. 3. 30). *Uterque eorum ex castris exercitum* EDUCUNT.

ARTICULUS II. DE ADJECTIVO CUM SUBSTANTIVO [226-229]

248. Nomina adjectiva, pronomina et participia cohaerent cum suis substantivis genere, numero et casu, quamvis verbum aliquod intercedat. (Cic. Verr. 2. 4. 40). *Erat* HIEMS *summa*, TEMPESTAS *perfrigida*, IMBER *maximus*. (Ter. Eun. 4. 3. 660). *Ille autem* BONUS *vir nusquam apparet*. (Cic. Brut. 118). *Stoici prudentissimi sunt*. (Nep. Arist. 1). *Aristides justus est appellatus*.

N. B. Beneficio nominis adjectivi latini efferunt multa complementa, quae hispani non nisi nomine substantivo et praepositione *de* vel etiam adverbiali loquutione interpretantur. Hujusmodi sunt: α) quae significant ordinem, vel partem loci ac temporis: v. gr. *extrema hieme*, (al fin del invierno); *primo vere*, (al principio de la primavera); *media aestate*, (en la mitad del verano); *summus mons*, (la cumbre del monte); *in media via*, (en la mitad del camino). β) quae patriam indicant, vel locum in quo aliquid fit, vel materiam: v. gr. *Cicero Arpinas*, (de Arpino); *pugna Cannensis*, (de Cannas); *bellum Africanum*, (de Africa); *signum marmoreum*, (de mármol). γ) nomina mensium et quae eorum partem significant: v. gr. *mense Martio*, *Septembri* etc.... (raro *Martii*, *Septembris*); *Calendis Junius*, *Nonae Augustae*, *Idus Apriles* etc.... δ) quae animi statum declarant: v. gr. *prudens feci*, (lo hice á sabiendas); *me inscio factum est*, (sin saberlo yo); *Socrates venenum laetus et libens hausit*.

249. Si plura sint substantiva conjuncta,

1.º Adjectivum, nullo verbo intercedente, fere cum viciniore consentit. (Cic. Fam. 1. 9). *Caesaris* OMNI *et gratia et opibus sic fruor ut meis*. (id. Tusc. 1. 28). *Videmus hominis utilitati agros* OMNES *et maria parentia*.

N. B. 1.º Si vero adjectivum gerit partes appositi substantivi, idem tenendum est quod inferius traditur 3.º β). (Liv. 5. 4). *Labor voluptasque*, DISSIMILLIMA *natura*, *societate quadam inter se juncta sunt*.

N. B. 2.º Si unico substantivo plura junguntur singularia adjectiva ad res diversas significandas, substantivum modo ponitur in singulari, modo in plurali numero; verbum vero semper plurali gaudet, si substantivum est in nominativo. (Cic. Phil. 5. 17). *Legio Martia quartaque rempublicam defendunt*. (Tac. Ann. 1. 31). *Prima et vicesima legiones*. (Hispane, *Las legiones primera y vigésima*, vel *la legión primera y la vigésima*).

2.º Ubi verbum intercedit singularis numeri (n. 246 et 247) adjectivum cum viciniore consentit. (Cic. Cluent. 53). *Mens et animus et consilium et sententia* POSITA *est in legibus*. (id. Cat. 4. 7). *Quis est cui non haec templa, aspectus urbis, possessio libertatis, lux denique haec ipsa, et hoc commune patriae solum, quum sit* CARUM, *tum vero* DULCE *atque* JUCUNDUM?

3.º Si verbum ponitur in plurali numero (n. 245).

α) Substantiva rerum animatarum postulant adjectivum plurale in genere praestantiore. Virile praestantius est muliebri et neutro. (Ter. Eun. 3. 8. 11). *Quam pridem pater mihi et mater mortui essent*. (Liv. 5. 54). *Dea Juventus Terminusque Deus id non sunt* PASSI.

N. B. Si femineum cum neutro conjungitur, satius erit circuitione uti hoc modo: *Lucretia castissima fuit, qua virtute etiam ejus mancipium floruit*. Id tutius quam fuerunt castae.

β) Quando res sunt inanimatae, usurpamus plerumque genus neutrum; nonnumquam tamen genus petitur a viciniore numeri pluralis, vel a masculino aut feminino, si omnia substantiva sunt hujus generis. (Liv. 53. 25). *Divitiae, decus, gloria in oculis* SITA *sunt*. (id. 37. 32). *Ira et avaritia imperio* POTENTIORA *erant*. (Cic. Leg. 1. 18). *Societas hominum, et aequalitas, et justitia per se* EXPETENDA *sunt*. (id. Cat. 4. 1). *Video, P. C., in me omnium vestrum ora atque oculos esse* CONVERSOS. (Quint. 1. 10. 17). *Grammaticae quondam ac musicae* JUNCTAE *fuerunt*.

N. B. 1.º Quum personae aliis rebus junguntur, usurpatur genus personae: quod si vicinius substantivum sit plurale, cum hoc poterit adjectivum cohaerere. (Liv. 21. 50). *Rea regiaque classis una* PROPECTI *sunt*. (id. 5. 15). *Patres decrevere legatos sortesque oraculi Pythici* EXSPECTANDAS.

N. B. 2.º Poetae atque historici, intercedente praepositione *cum*, verbum plurali, immo et praestantiori personae generique reddunt; oratores vero nullam habent rationem ablativi. (Virg. Aen. 1. 292). *Remo cum fratre* Quirinus *jura dabunt*. (Quirino con su hermano Remo dictarán leyes). (id. Aen. 2. 494). *Divellimur inde* Iphitus *et Pelias* MECUM. (Cic. Att. 3. 8). *Neque totum animum tuum moerori mecum simul* DEDISSES. (Ov. Fast. 4. 5. 54). *Ilia cum* Lauso *de Numitore* SATI.

N. B. 3.º Participia *appellatus, creditus, dicendus, dictus, factus, visus*, et caetera ejusdem generis, si cum duobus substantivis diversorum generum ponuntur, cohaerent fere cum eo quod est fundamentum orationis. (Plin. 3. 10). *Puteoli colonia* Dicaearchia *dicti*.

ARTICULUS III. DE RELATIVO CUM ANTECEDENTE [230-232]

250. Relativum *qui, quae, quod*, et demonstrativa loco relativi posita, concordant cum antecedente in genere et numero. (Cic. Fam. 16. 7). *NEMO nos amat, QUI te non diligit.* (id. Fam. 14. 3). *Accepi ab Aristocrito tres EPISTOLAS, QUAS ego lacrimis prope delevi.* (id. Att. 3. 1). *Eunti mihi Antium, venit obviam tuus PUER; IS mihi litteras abs te reddidit.*

N. B. 1.^o Orationis membrum loco antecedentis opponitur, idque in singulari numero et neutro genere. (Cic. Balb. 2). *Unum objicitur (Cornelium) natum esse Gadibus; QUOD negat nemo.* (id. Rosc. Am. 4). *Sin a vobis, ID QUOD non spero, deserat, tamen animo non deficiam.*

N. B. 2.^o Interdum antecedens iteratur post relativum. (Cic. Q. Fr. 3. 3). *DIEM scito esse nullum, quo DIE non dicam pro reo.* (id. Caecil. 1). *Posset aliquod TEMPUS accidere, quo TEMPORE Siculi aliquid requirerent* [423].

251. Si plura antecedant substantiva, idem observandum est quod dictum est de adjectivis (n. 245 et seqq.).

Nam 1.^o relativum plurale praestantius genus sibi vindicat. (Cic. Off. 1. 1). *Propter summam et DOCTORIS auctoritatem et URBIS, QUORUM alter te scientia augere potest, altera exemplis.*

2.^o Neutrum saepe praefertur, praecipue quum de rebus inanimatis sermo est. (Cic. Att. 3. 25). *Quae VITA esset nostra, quae SUAVITAS, quae DIGNITAS; ad QUAE recuperanda per fortunas incumbere.* (id. Phil. 2. 75). *Repetebant praeterea DEOS patrios, ARAS, FOCOS, LAREM suum familiarem, in QUAE tu, Antoni, invaseras.*

3.^o Saepe relativum cum viciniore substantivo consentit. (Cic. Pis. 20). *Mihi enim non venerat in mentem furorem, et INSANIAM optare vobis, in QUAM incidistis.*

N. B. 1.^o Quum antecedens constat ex duobus substantivis continuatis, relativum cum alterutro consentire poterit. (Caes. B. G. 4. 2). *Helvetii continentur FLUMINE RENO, qui agrum Helvetium a Germanis dividit.* (id. ib. 6. 33). *Ad FLUMEN SCALDEM, QUOD influit in Mosam.* Si vero appositum sit *urbs, oppidum, civitas*, cum his fere consentiet relativum.

N. B. 2.^o Quum antecedens est pronomen generis neutrius, utrumque cohaeret saepissime cum consequente substantivo. (Sall. Cat. 51). *QUAE apud alios IRACUNDIA dicitur, EA in imperio SUPERBIA atque CRUELITAS appellatur, (pro quod apud... id... Lo que se llama ira, esto...).* (Cic. Fin. 2. 22. 70). *Negat Epicurus (hoc enim vestrum lumen est...).* (id. Off. 3. 40). *Non amicitiae TALES, sed conjurationes putandae sunt.* (Una cosa tal no debe considerarse como amistad...). Idem fit aliquando apud hispanos. (Bello. n. 967).

252. Si relativum inter duo substantiva ponatur, cum alterutro consentire poterit. (Sall. 55). *Est locus in carcere, QUOD TULLIANUM appellatur.* (Caes. B. G. 5. 14). *FLUMEN QUOD appellatur Tamesis.* (Cic. Leg. 1. 7). *Animal plenum rationis et consilii, QUEM vocamus HOMINEM.*

253. Antecedens nonnumquam ad orationem relativi trajicitur, tunc vero relativum *qui, quae, quod*, venuste antecedenti praepositur, et cum eodem cohaeret genere, numero et casu. Saepe subjicitur demonstrativum. (Cic. Tusc. 1. 18). *QUAM quisque norit ARTEM, in HAC se exerceat.* (id. Syll. 33). *QUAE prima innocentis mihi DEFENSIO est oblata, suscepi.* (id. Att. 12. 34). *QUIBUS de REBUS ad me scripsisti, quoniam ipse venio, videbimus.*

N. B. 1.^o Haec constructio solet semper usurpari, quum antecedens est substantivum continuatum, vel superlativum. (Cic. Amic. 47). *Sunt firmi et stabiles et constantes eligendi (amici), CUJUS GENERIS est magna penuria, (pro genus cujus...).* (id. Off. 3. 25). *Agamemnon, quum devovisset Dianae QUOD in suo regno PULCHERRIMUM natum esset illo anno, immolavit Iphigeniam.*

N. B. 2.^o *Quantus, qualis* et caetera id genus nomina, quum relativa fiunt, non cum antecedente, sed cum consequente substantivo consentiunt genere, numero et casu. (Cic. Fam. 12. 7). *Dixi de te quae potui tanta contentione, QUANTUM FORUM est.*

N. B. 3.^o Antecedens saepe omittitur, si est pronomen demonstrativum. (Cic. Amic. 22). *Maximum ornamentum amicitiae tollit, qui ex ea tollit verecundiam* (Cf. n. 474. 3.^o).

ADMONITIO

254. Juvat optimum P. Alvari monitum describere [n. 230].

«Quidam personam addunt, in qua etiam relativum cum antecedente consentiat; negant alii addendam, quod nullam certam personam includat provocabulum sive relativum, unde a veteribus infinitum pronomen appellatum sit.

Hac et ejusdem generis quaestionibus praetermissis, multis propositis exemplis exerceantur pueri quam studiosissime, nullusque praetermittatur dies, quin aliquid latine scribant: ita enim fiet ut brevi magnos faciant progressus. Assuescant denique potius emendate loqui et scribere, quam barbare disputare. Illae vero concertationes, in quibus de limanda oratione, de orthographia, de notandis vitis agitur, maxime sunt utiles: nam et animos excitant alacrioresque reddunt, et ingenia alunt.»

ARTICULUS IV. SUBSTANTIVA CONTINUATA [236-237]

255. Substantiva continuata, quae ad eandem rem spectant, casu concordant, quamvis genere et numero aliquando dissentiant.

N. B. Continuata substantiva dicuntur quae nulla conjunctione sunt vincta, quae et apposita appellantur.

(Cic. Fam. 1. 1). *M. CICERO S. D. P. LENTULO PROCONSULI.* (id. Att. 1. 8). *Tulliola, DELICIOLOAE nostrae, tuum munusculum flagitat.* (id. Fam. 8. 8). *Scito Sempronium Rufum, MEL ac DELICIAS tuas, calumniam maximo plausu tulisse.*

256. Substantiva continuata, quum genere vel numero discrepant, si alterum proprium sit personae, cum eo verbum caeteraque consentiunt; alias cum nomine magis communi. (Cic. Balb. 15). *Quum duo fulmina no-*

stri imperii Cn. et P. Scipiones extincti occidissent. (id. Fam. 7. 1). *Deliciae vero tuae nosler AESOPUS ejusmodi fuit, ut ei desinere per omnes homines liceret.* (Plin. 31. 8. 2). *Tungri CIVITAS Galliae fontem HABET insignem.* (Liv. 2. 33). *Corioli OPPIDUM CAPTUM.*

N. B. Continuatur fere substantiva in ejusmodi loquutionibus: *Africa provincia, Sicilia insula, Corioli oppidum, Quintus frater, Ennius poeta.* Praeposito vero nomine magis communi: *urbs Roma, nomen Petrus, cognomen Africanus etc....* (Cic. Verr. 2. 4. 53). *Fons cui NOMEN ARETHUSA est.* (id. Acad. 4. 137). *Fuit URBS ROMA.* (Caes. B. G. 1. 4). *A GARUMNA FLUMINE ad PYRENAEOS MONTES.*

Id saepe efferunt hispani beneficio praepositionis *de*: *La ciudad de Roma. La isla de Sicilia.* etc. (dicunt tamen: *el rio Ebro, el monte Sinai* etc.). Etiam apud latinos poetas non raro alterum nomen ponitur in genitivo, (quem *definitivum, explicativum, appositivum* appellant): (Virg. Aen. 1. 247). *Urbs Patavi.* (3. 293). *Urbs Buthroti.* (5. 504). *Arbor mali.* (6. 659). *Ammis Eridani.* (7. 714). *Flumen Himellae* etc. [n. 236].

CAPUT II

DE CONSTRUCTIONE SUBSTANTIVI NOMINIS

257. [244]. Substantiva nomina genitivum habere possunt ejus rei ad quam res pertinere significatur. (Cic. Pis. 19). *Supplicium autem est POENA PECCATI.* (id. Amic. 22). *Maximum ORNAMENTUM AMICITIAE tollit, qui ex ea tollit verecundiam.*

N. B. 1.º Huc spectat omnis substantivorum silva, sive rem possessam, sive numerum significant, ut: *equus Alexandri; par amicorum; modius tritici* etc. Praeterea *verbalia* in *tor, trix, sor, us, io*, ut: *servator patriae; expultrix vitiorum; censor morum; contemptus divitiarum; moderatio animi.*

N. B. 2.º *Reus* genitivum admittit vel ablativum cum praepositione *de*. (Cic. Flac. 3). *Reus AVARITIAE.* (id. Sext. 35). DE VI REUS.

N. B. 3.º Poëtica pro genitivo ponitur dativus commodi vel incommodi. (Virg. Aen. 9. 770). *Huic (= hujus) uno dejectum ictu longe jacuit caput.*

258. [246 et 288]. Substantiva quae qualitatem aliquam significant, si afficiuntur adjectivo, genitivo vel ablativo gaudent. Saepe intercedit verbum *sum*. (Cic. Fam. 4. 8). *Neque monere te audeo PRAESTANTI PRUDENTIA virum, neque confirmare MAXIMI ANIMI hominem.* (id. Fam. 3. 7). *Etiāne tu, Appi, homo SUMMA PRUDENTIA, MULTA etiā DOCTRINA, PLURIMO rerum USU, id existimas?* (id. Sext. 16). *Nimum me timidum NULLIUS ANIMI, NULLIUS CONSILII FUISSE confiteor.* (id. De cl. or. 58). *SUMMO iste quidem dicitur INGENIO FUISSE.* (Cf. n. 271).

N. B. 1.º Huic substantivo debet adungi adjectivum, ut tradit praeceptum: *neque enim dices: vir ingenii, sed vir ingeniosus.*

N. B. 2.º Ablativum tantum sibi vindicant illae loquutiones, quae ex substantivo et pronomine constant: v. gr. *esse ea mente, eo animo,*

CAPUT III

DE CONSTRUCTIONE NOMINIS ADJECTIVI IN GENERE

ARTICULUS I. GENITIVUS POST ADJECTIVA

§ I. GENITIVUS FIXUS

259. [247]. Adjectiva quae *scientiam, communionem, studium* et his contraria significant, genitivo junguntur. (Cic. De cl. or. 21). *Fabius pictor et JURIS et LITTERARUM et ANTIQUITATIS bene PERITUS.* (id. Fam. 5. 5). *Homo TUI CUPIDUS.* (id. Fin. 5. 23). *Ita copulatae (virtutes) connexaeque sunt, ut omnes OMNIUM PARTICIPES sint.* (Hor. Od. 3. 3). *Justum et TENACEM PROPOSITI virum.* (Cf. n. 334. Adm.).

EXEMPLA AD EXERCENDUM:

Peritus (*perito*). (Cic. Font. 7). *Multarum rerum peritus.*

Rudis (*rudo*).

Ignarus (*ignorante*). } (Cic. Flac. 7). *Rerum omnium rudes ignarique.*

Gnarus (*conocedor*). (Cic. Brut. 64). *Gnarus reipublicae.*

Memor (*el que se acuerda*). (Cic. Phil. 2. 18). *Memor patriae.*

Consors (*compañero*). (Cic. Flac. 45). *Consors mendicitatis.*

Exors (*el que no tiene parte*). (Liv. 22. 44). *Exors culpa.*

Compos (*el que posee*). (Cic. Phil. 2. 38). *Compos mentis.*

Impotens (*el que no domina*). (Curt. 8. 4). *Impotens animi.*

Insolens (*no acostumbrado á*). (Cic. Att. 2. 21). *Insolens infamiae.*

Tenax (*tenaz*). (Sen. 7. 5). *Tenax recti.*

Avidus (*ávido*). (Sall. Cat. 7). *Laudis avidi.*

Studiosus (*aficionado á*). (Cic. Orat. 1. 59). *Adolescentes dicendi studiosi.*

N. B. *Doctus, peritus et eruditus* eleganter habent ablativum, nonnumquam accusativum cum *ad*. (Cic. Brut. 28. 407). *Brutus erat cum LITTERIS LATINIS, tum etiā GRAECIS, ut temporibus illis, ERUDITUS.* (según lo que cabía en aquellos tiempos...). (id. Q. Fr. 4. 4). *AD NIMIAM ASSENTATIONEM ERUDITI.* (id. Brut. 46). *DOCTI et GRAECIS LITTERIS et LATINIS* [369].

260. [245]. Adjectiva in neutra terminatione substantive posita, more substantivorum genitivum poscunt, modo sint in nominativo vel in accusativo sine praepositione. (Cic. Senec. 36). *TANTUM CIBI et POTIONIS adhibendum est, ut reficiantur vires non opprimantur.* (id. Muren. 38). *Vident QUANTUM in te sit ANIMI, QUANTUM INGENII, QUANTUM AUCTORITATIS.* (id. Fam. 6. 21). *Praesertim quum OMNIUM RERUM mors sit EXTREMUM.*

N. B. 1.º Dicitur tamen: *ad multum diei, ad id loci*.
 N. B. 2.º Hujus classis sunt *multum, plus, plurimum, tantum, quantum, minus, minimum, summum, extremum, ultimum, postremum, etc.*... Reperies etiam in plurali apud historicos et poetas *abditæ rerum, strata viarum, occulta saltuum, incerta fortunæ, angusta viarum*, et id genus alia. (Cf. n. 274).

N. B. 3.º Item pronomina neutra *hoc, id, illud, istud, quod, quid, quidquid, aliquid*, substantive posita; ut *hoc commodi, novi, noctis, temporis; id ætatis, virium, solitudinis etc.* (Cic. Fam. 2. 8). Hoc *ad te LITTERARUM dedi*. (Te escribi esta carta). (id. Att. 4. 43). *Res eodem est loci, quo reliquisti*. (Està la cosa en el mismo punto en que la dejaste). (id. ib.). Quid *in Epiro temporis ponas*. (id. Fam. 6. 20). Id *ÆTATIS jam sumus*. (Cf. n. 442. N. B. 2.º).

N. B. 4.º Adduntur etiam genitivi adjectivorum in *i*, modo complementum nullum habeant. (Cic. N. D. 3. 36). *NIHIL NOVI*. Non tamen dices: *aliquid memorabilis*, sed *memorabile; nihil expectatione digni*, sed cum Cic. (de Or. 1. 30). *Nihil expectatione vestra dignum*.

§ II. GENITIVUS VEL DATIVUS

261. [257]. Adjectiva quæ *similitudinem* aut *dissimilitudinem* significant, item *communis* et *proprius*, interrogandi vel dandi casum admittunt. (Cic. Fin. 5. 5). *PATRI SIMILIS filius*. (Ter. Eun. 3. 2. 43). *DOMINI SIMILIS es*. (Cic. Phil. 2. 24). *Saturavit se* (Antonius) *sanguine DISSIMILIMORUM SUI civium*. (id. Senec. 41). *Id quidem non PROPRIUM SENECTUTIS vitium est, sed COMMUNE VALETUDINIS*.

N. B. 1.º Eandem constructionem amat *sacer* (dedicado à). (Ov. Med. 3. 623). *SACRA Jovis quercus*.

N. B. 2.º *Communis* habet non raro casus duos, dativum scilicet et ablativum cum præpositione *cum*. (Cic. Verr. 2. 3. 88). *Sunt quaedam tibi cum multis communia*. *Proprius* cum genitivo significat *peculiar*, cum dativo *propio*.

262. [258]. *Aequalis* quum ad ætatem tempusque refertur (*contemporaneo*), genitivum habet, alias (*igual*) dativum. (Cic. Fin. 4. 24). *Conferam Drusum cum C. Graccho EJUS fere AEQUALI*. (id. Leg. 2. 10). *Paupertatem DIVITIS esse AEQUALEM*.

263. *Consci* (el que sabe ó tiene conciencia de algo) quum ad personas refertur, dativum habet, quum autem ad rem, genitivum frequentissime, interdum etiam dativum; nonnumquam utrumque casum. (Cic. Fam. 5. 5). *HOMO OMNIUM MEORUM in te OFFICIORUM maxime CONSCIUS*. (Ter. Adolph. 3. 2. 549). *MIHI sum CONSCIA a me culpam esse hanc procul* (tengo conciencia). (Cic. Off. 5. 18). *SIBI NULLIUS CONSCII CULPAE*.

[263]. N. B. *Alienus* ita construitur:
 (Cic. Caecin. 9). *Quod illi CAUSAE maxime est ALIENUM*. (desfavorable).
 (id. Att. 16. 3). *Labor ALIENUS a DIGNITATE NOSTRA*. (ajeno).
 (id. Div. 4. 38). *Neque hoc dii ALIENUM ducunt MAJESTATE SUA*. (ajeno, improprio de).
 (id. Fin. 1. 4). *Quis ALIENUM putet EJUS esse DIGNITATIS*. (raro) (contrario).

§ III. GENITIVUS VEL ABLATIVUS

264. [261]. Adjectiva quæ *copiam* aut *inopiam* significant, genitivum vel ablativum postulant.

1.º Genitivum fere habent:

Fertilis et plenus et inops, immūnis, egēnus.

2.º Admittunt saepius ablativum:

Confertus, locuples, copiosus, inānis, onustus, Et praestans, vacūus, dives cum nudus, abundans.

3.º *Vacūus, nudus* et *orbis* admittunt etiam præpositionem *a* vel *ab*.

EXEMPLA:

Fertilis (*fertil*). (Cic. N. D. 2. 52). Fertiles agri alii aliorum fructuum.

Plenus (*lleno*). { (Cic. Somn. Scip. 2). De pleno stellarum loco.
 { (Cic. Verr. 6. 57). Plenus ornamentis.

Inops (*necesitado*). (Cic. de Orat. 2. 40). Inops humanitatis.

Immūnis (*immune*). { (Liv. 38. 44). Immunes portiorum.
 { (Liv. 4. 43). Centuria immunis militia.

Egēnus (*necesitado*). (Liv. 9. 6). Omnium egeni.

Confertus (*lleno*). (Cic. Tusc. 3. 49). Liber confertus voluptatibus.

Locuples (*rico*). (Cic. Fin. 5. 5). Lysias oratione locuples.

Copiosus (*copioso*). (Cic. Cat. 2. 8). Tu agris copiosus.

Dives (*rico*). (Hor. ad Pis. 241). Dives agris.

Onustus (*cargado*). (Cic. Off. 3. 42). Naves onustae frumento.

Complētus (*lleno*). { (Cic. Tusc. 4. 43). Coelum humano genere completum.
 { (Cic. Verr. 7. 57). Completus mercatorum carcer.

Vacūus (*vacio*). { (Sall. Jug. 95). Vacuus frugum.
 { (Cic. Univ. 4). Vacuus igni.
 { (Caes. B. G. 2. 12). Vacuus a defensoribus.

Nudus (*desnudo*). { (Sall. Jug. 84). Nudus gignentium.
 { (Cic. Att. 7. 43). Nudus praesidio.
 { (Cic. Verr. 62). Messana ab his rebus nuda est.

Inānis (*vacio*). { (Cic. Orat. 49). Inanis verborum.
 { (Cic. Verr. 5. 52). Inanis aratoribus.

Praestans (*aventajado*). (Cic. Acad. 1. 4). Praestantissimi studio atque doctrina.

Orbis (*huérfano*). { (Cic. Leg. 3. 3). Plebs orba tribunis.
 { (Cic. Flacc. 23). Fuit orba ab optimatibus contio.

265. [264]. *Intēger* (íntegro), *purus* (puro), *secūrus* (seguro, sin cuidado) genitivum exigunt vel ablativum cum præpositione *a* vel *ab*; *securus* etiam cum præpositione *de*. (Hor. Od. 1. 22). *INTEGER VITAE SCELEBRISQUE PURUS*. (Cic. Fam. 10. 24). *SECURUS vos AB HAC PARTE reddam*. (Sen. Ep. 4. 1). *Mentis AB OMNI LABE PURAE et splendidæ*.

266. [247]. *Certior* (sabedor) genitivo vel ablativo cum præpositione *de* gaudet. (Cic. Att. 3. 10). *Faciam te CONSILII nostri CERTIOREM*. (id. Fam. 4. 5). *Te de HIS REBUS quæ hic geruntur CERTIOREM faciam*.

ARTICULUS II. DATIVUS POST ADJECTIVA

§ I. DATIVUS FIXUS [258]

267. Adjectiva quibus *commodum, voluptas, propinquitas, gratia, favor, fidelitas, aequalitas* et his contraria significantur, dativum poscunt. (Cic. Fam. 6. 6). *Erat meum consilium quum fidele Pompejo, tum salutare utrique.* (Cic. Att. 12. 4). *O gratas tuas mihi jucundasque litteras.*

EXERCITATIONES:

- Carus** (*amado*). } (Cic. Cat. 4. 6). Comes populo carus atque jucundus.
- Jucundus** (*agradable*). }
- Pergratus** (*muy grato*). (Caes. B. C. 4. 86). Militibus fuit pergratum.
- Salutaris** (*saludable*). (Cic. Brut. 45). Mihi tractatio litterarum salutaris fuit.
- Gratus** (*grato*). (Cic. Fam. 13. 44). Hoc mihi gratus facere nihil potes.
- Perniciosus** (*pernicioso*). (Cic. Inv. 4. 4). Perniciosus patriae civis.
- Vicinus** (*vecino*). (Cic. Or. 113). Dialectica vicina et finitima rhetoricae est.
- Proximus** (*cercano*). (Cic. pro Dom. 74). Proximus senatoriae dignitati.
- Affinis** (*afin*). (Cic. post. red. 44). Mihi affinis erat.
- Contrarius** (*contrario*). (Cic. Off. 3. 33). Utilitas saepius honestati est contraria.
- Amicus** (*amigo*). (Cic. de Or. 2. 72). Judex amicus adversario.
- Inimicus** (*enemigo*). (Cic. Att. 2. 21). Clodius inimicus est nobis.
- Familiaris** (*familiar*). (Cic. Fam. 7. 14). Tu es Caesari familiaris.
- Par** (*igual*). (Cic. Leg. 3. 44). Noxae poena par esto.

N. B. 1.º Quae *gratiam, favorem* et contrarium significant saepe accusativum habent cum praepositione *erga, in, adversus*. (Plaut. Capt. 2. 2. 99). *Me esse scit ERGA SE BENEVOLUM.*

N. B. 2.º *Propior* et *proximus* habent etiam accusativum. (Sall. Jug. 53). *IpsE PROPiOR MONTEM pedites collocat.* (Liv. 35. 27). *Qui PROxiMUS FINEM Megalopolitarum est.*

N. B. 3.º Multa quae putantur dativum habere, ut *proximus, propinquus, cognatus, amicus, socius, familiaris, commilito, conservus, condiscipulus* et alia id genus, dativum habent beneficio verbi substantivi; nam ab hoc separata, non dativum habent sed genitivum vel adjectivum, ut *«Hannibal occidit omnes PROPiNQUOS FABii, non Fabio»* [278].

268. Dativo etiam junguntur verbalia in *bilis* et quaedam composita ex praepositione *cum, ab* et *dis*. (Cic. Phil. 7. 3). *Cui pax praesertim civilis fuit OPTABILIS.* (id. Phil. 9. 7). *Quum ejus mors CONSENTANEA VITAE fuerit sanctissime honestissime-que actae.* (Liv. 4. 15). *ABSONUM fidei divinae originis.*

N. B. *Absonus* habet etiam ablativum cum praepositione *a* vel *ab*. (Liv. 7. 2). *Nec ABSONI A VOCE motus erant.*

269. His adde *supplex* (suplicante), *obvius* (el que sale al encuentro), *pervius* (abierto, patente), *obnoxius* (sujeto). (Cic. Tusc. 1. 29). *Nec JUDICIBUS SUPPLEX* (Socrates) *fuit.* (id. Att. 6. 4). *Fac ut MIHI tuae litterae*

volent OBVIAE. (Tac. Hist. 5. 8). *Ne PERVIUM (iter) GERMANIS EXERCITIBUS foret.* (Plin. Ep. 5. 14). *Vides quot PERICULIS, quot CONTUMELIIS, quot LUDIBRIIS simus OBNOXII?*

§ II. DATIVUS VEL ACCUSATIVUS [259]

270. Adjectiva quae *aptitudinem* significant, dativum habent et saepius accusativum cum praepositione *ad*, ut *aptus, idoneus, habilis, natus bello* vel *ad bellum* (idóneo, nacido para la guerra). (Cic. Pis. 44). *Ille gurges atque helluo NATUS ABDOMINI suo, non LAUDI atque GLORIAE.* (id. Mil. 20). *Locus AD INSIDIAS APTIOR.* (id. Brut. 68). *Cn. Pompejus vir AD OMNIA summa NATUS.* (id. Off. 3. 6). *Homo AD NULLAM REM UTILIS.*

N. B. 1.º Quae *propensionem* significant, accusativum habent cum praepositione *ad* vel *in*. (Cic. Att. 8. 3). *Multitudo et infimus quisque PROPENSUS IN ALTERAM PARTEM.*

N. B. 2.º Quae referuntur ad *commodum*, ut *aptus, accommodatus, utilis, inutilis*, dativo tum personae tum rei adjungi possunt, accusativo autem rei cum praepositione *ad*, et plenius utriusque casui. (Cic. Fam. 3. 6). *Etsi ille adventus MIHI AD MULTAS RES minus APTUS erat.*

ARTICULUS III. ABLATIVUS POST ADJECTIVA [261-264]

271. [269]. Multa adjectiva ablativum postulant significantem *laudem, vituperationem* vel *partem*. (n. 258 et 294). (Cic. Orat. 1. 25). *Sunt quidam aut ita LINGUA HAESITANTES, aut ita VOCE ABSONI.* (Hay algunos, que tienen tan trabada la lengua y tan desapacible voz). (Q. Cic. pet. cons. 3). *Qui nequaquam sunt tam GENERE INSIGNES quam VITIIS NOBILES* (1).

N. B. 1.º Huc pertinent illa: *Aeger pedibus. Nazione Gallus.* (Cic. Tusc. 5. 40). *OCULIS et AURIBUS CAPTUS.* (Ciego y sordo). (id. Bab. 7). *MEMBRIS omnibus CAPTUS.* (Paralítico). (id. Acad. 1. 2). *MENTE CAPTUS.* (Demente). Alia ut *Amore captus, Vino captus* (ebrio), nihil sunt aliud quam loquutiones passivae.

N. B. 2.º Item loquutiones illae quae constant ex vocativis *macte, macti*, quibus utimur in gratulando, plaudendo et cohortando. (Cic. Tusc. 4. 17). *MACTE VIRTUTE.* (Sen. ep. 66). *MACTE VIRTUTE esto.* (Plin. h. n. 2. 12). *MACTI INGENIO este.* (Virg. Aen. 9. 640). *MACTE NOVA VIRTUTE puer.* (¡Valor! ¡ánimo!). Item (Cic. Brut. 70. 247). *Non tardus SENTENTIIS, non INOPS VERBIS* (Cf. n. 264).

N. B. 3.º Hunc ablativum in accusativum mutant poetae, sive graecorum more, sive subtracta praepositione *secundum*, ut apud graecos $\alpha\tau\alpha\acute{\alpha}$. (Virg. Aen. 4. 589). *OS HUMEROSQUE deo similis.*

(1) Hujusmodi ablativum modo *qualitatis*, modo *determinativum* appellant recentiores.

272. *Praeditus* (dotado), *fretus* (fiado), *contentus* (contento), *dignus*, *indignus* ablativum sine praepositione optant. (Cic. Cael. 24). *Adolescens rectissimis studiis atque optimis artibus praeditus*. (id. Quint. 3). *Mediocri quaestu contentus esse non poterat*. (No podía estar contento con una ganancia mediana). (id. pro Domo. 51). *Voluntas omni laude digna*.

N. B. *Dignus* raro genitivum habet.

273. *Tutus* (seguro), *sospes* (salvo), *innoxius* (ileso), *adjectiva diversitatis et numeralia ordinis* ablativum postulant cum praepositione *a* vel *ab*. (Colum. 5. 9). *Innoxius ab injuria pecorum*. (Hor. od. 37. 13). *Sospes navis ab ignibus*. (Cic. Acad. 1. 32). *A te totus diversus est*. (Hirt. B. Alex. 66). *Imperio et potentia secundus a rege*.

N. B. 1.º *Extorris* (desterrado), *liber* (libre), *cassus* (privado) ablativum postulant cum praepositione *a* vel *ab* vel sine praepositione. (Liv. 5. 30). *Extorris ab solo patrio*. (Cic. Agr. 1. 9). *Liberi a delictis*. (Virg. Aen. 2. 85). *Nunc cassum lumine lugent*.

N. B. 2.º *Natus*, *ortus*, *satus*, *cretus*, *oriundus*, et alia, quae *ortum* vel *originem* significant, ablativo junguntur sine praepositione, raro cum praepositione *ex* vel *de*, si de matre sit sermo. (Cic. Tusc. 5. 20). *Quum esset bonis parentibus atque honesto loco natus*. Mensura vero aetatis in accusativo ponitur. (Cf. n. 302). (Cic. Tusc. 5. 20). *Quinque et viginti natus annos*. (Teniendo veinticinco años). (id. Sen. 10). *Nonaginta annos natus*. (Teniendo noventa años). Id exprimitur etiam ope verbi *ago*, tunc vero usurpabis ordinalia et unum annum addes: v. g. *Sexatum et vigesimum agens annum*. *Nonagesimum primum annum agens*.

CAPUT IV

DE CONSTRUCTIONE NOMINIS ADJECTIVI IN SPECIE

ARTICULUS I. PARTITIVA, SUPERLATIVA, NUMERALIA [249-255]

274. *Partitiva*, *superlativa* et *numeralia* substantive sumpta genitivo multitudinis gaudent, qui mutari potest in ablativum cum praepositione *e* vel *ex* vel *de*, vel in accusativum cum *inter*. (Cic. N. D. 1. 35). *Elephanto belluarum nulla prudentior*. (id. Fam. 16. 1). *De tuis innumerabilibus in me officii erit hoc gratissimum*. (Curt. 8. 2). *Octoginta macedonum interfeecerunt*. (Cic. Rosc. Am. 6). *Ipse honestissimus inter suos numerabatur*. (Cic. Sen. 10). *Minus habeo virium quam vestrum utervis*. (Cf. n. 260. N. B. 2.º).

N. B. 1.º *Partitiva* et *superlativa* junguntur etiam nomini singulari, quod multitudinem significet. (Cic. Fam. 13. 13). *Sic prorsus ut nostri ordinis observet neminem diligentius*. (id. Rab. Post. 9). *Virum unum totius Graeciae facile doctissimum Platonem in ma-*

ximis periculis esse versatum accepimus. (id. Att. 1. 48). *Reperire ex magna turba neminem possumus*.

N. B. 2.º Adjective sumpta cohaerent etiam cum suis substantivis, ut *fortissimi viri*; *septimus rex Romanorum*; *uterque frater*. *Uterque* habet semper genitivum quum pronomibus adhaeret.

N. B. 3.º Nonnumquam suppletur *partitivum*. (Cic. Prov. cons. 2). *Venio ad ipsas provincias, quarum Macedonia graviter a barbaris vexatur*. Quod si relativum ad totum antecedens referatur, non vero ad partem, usurpetur casu verbo congruens. (Cic. Phil. 2. 6). *Veniamus ad viros, qui duo de consularium numero reliqui sunt*. (id. de Or. 3. 24). *Hominiibus opus est eruditis, qui adhuc in hoc quidem genere nostri nulli fuerunt*.

275. Tum superlativa tum partitiva cohaerent (quod attinet ad genus) modo cum suis substantivis, modo cum casu apposito. (Cic. N. D. 2. 52). *Indus est omnium fluminum maximus*. (id. Phil. 2. 44). *Servitus malorum omnium postremum*.

276. Nomen *mille* modo adjectivum est, modo substantivum. *Mille* adjectivum (*mil*), plurale est et indeclinabile, ac proinde jungitur omnibus casibus numeri pluralis. (Cic. Fam. 10. 9). *Equites mille via breviori praemisi*. (Hor. Sat. 2. 3. 115). *Positis intus veteris Falerni mille cadis*. (Depositados en la bodega mil barriles del rancio de Falerno).

Mille substantivum (*millar*), singulariter est indeclinabile; pluraliter vero dicimus *millia*, *millium*, *millibus*, etc.; in utroque autem numero genitivum postulat more substantivorum. (n. 257). (Hor. Sat. 2. 3. 197). *Mille ovium insanus morti dedit*. (Cic. Quint. 25). *Septingenta millia passuum*.

N. B. 1.º Si sequitur alter numerus, *mille* adhibetur fere ut adjectivum. (Liv. 37. 40). *Mille et quingentos equites Gallograecorum opposuit*.

N. B. 2.º Quum post nomen *millia* adhibentur numeri minores, res numerata ponitur in eodem casu quo *millia*, si subsequitur; in genitivo fere, si antecedit. (Liv. 10. 20). *Caesa ad sex millia hominum, duo millia et quingenti homines capti*. (id. 37. 40). *Gallograecorum equitum duo millia et quingenti*.

N. B. 3.º *Millia* raro cohaeret cum re numerata ut substantivum continuatum. (Liv. 37. 40). *Quatuor millia Cyrtaei funditores*. (Cuatro mil honderos Cirteos).

N. B. 4.º *Bis mille*, *ter mille* etc. pro *duo millia* etc. poeticum est.

277. [106]. *Distributivis* ferme utimur, quum idem pariter in plura dividimus. (Cic. Verr. 2. 3. 81). *Quum in Sicilia sestertis binis tritici modius esset*.

Res vel mensura in quam cadit distributio saepe accusativo gaudet cum praepositione *in*. (Cic. Verr. 2. 2. 53). *Describebat censores binos in singulas civitates Timarchides*.

N. B. Expresso distributivo *singuli*, *ae*, *a*, alter numerus potest esse distributivus vel cardinalis. (Caes. B. C. 1. 52). *Jamque ad denarios quinquaginta in singulos modios annona pervenerat*.

278. Distributivi numeri pro cardinalibus junguntur nominibus quae numero singulari carent, vel aliud significant in singulari, aliud in plurali numero, ut *binae litterae* (dos cartas), *bina castra* (dos campamentos). (Cic. Phil. 12. 11). *Inter BINA CASTRA colloquutus est.*

N. B. 1.º *Singuli, ae, a* numquam ponitur pro cardinali *uni, ae, a*. (Sall. Cat. 6). *Postquam in UNA moenia convenere.*

N. B. 2.º Distributiva nomina non raro singulari numero usurpantur a poetis. (Virg. Aen. 5. 120). *Terno ordine.*

N. B. 3.º Utuntur etiam oratores pro cardinalibus. (Plin. 8. 54). *Ideo mares QUADRAGENIS diebus latent; feminae QUATERNIS mensibus* [108].

ARTICULUS II. COMPARATIVA [265-268]

279. Comparativo utimur cum ablativo, si prior terminus comparationis est in nominativo vel accusativo, alter vero est substantivum vel substantive positus. (Cic. Cat. 1. 3). *LUCE sunt CLARIORA nobis tua consilia omnia.* (id. Rep. 1. 10). *Quem auctorem LOCUPLETIOREM PLATONE laudare possumus?*

280. Ablativus comparativi, intercedente conjunctione *quam*, mutari potest in casum verbo congruentem. (Cic. Verr. 2. 3. 17). *Tu INNOCENTIOR QUAM METELLUS?* (Liv. 30. 30). *ME-LIOR TUTIORQUE est certa pax QUAM sperata VICTORIA.*

N. B. 1.º Hoc autem tunc fieri potest, quum ambo termini pendent ab eodem verbo; secus efficienda est nova propositio ope verbi *sum*. (Cic. Inv. 1. 31). *Si vicinus tuus equum MELIOREM habeat QUAM tuus est.* (id. Verr. 4. 20. 44). *Non opinor te (L. Cordio) homini honesto, sed non GRATIOSIORI QUAM Cn. CALIDIUS EST, argentum reddidisse.*

N. B. 2.º Quamvis termini non pendeant ab eodem verbo, si prior est in accusativo, secundus ponitur etiam saepe in hoc casu per attractionem. (Ter. Phorm. 4. 2. 590). *Ego HOMINEM CALLIDIOREM vidi neminem QUAM PHORMIONEM.* (Cic. Fam. 5. 7). *Tibi multo majori quam Africanus fuit, ME non multo MINOREM QUAM LAELIUM, adjunctum esse patiare.*

281. Necessario usurpatur *quam*:

1.º Si alter terminus comparationis est infinitum, propositio, adverbium aut adjectivum sine substantivo. (Cic. Leg. 3. 34). *Vi opprimi in bona causa est MELIUS QUAM male CEDERE.* (Quint. 5. 15). *Facere QUAM SANARE vulnera FACILIUS est.* (Cic. Planc. 15). *Haec consensio magis HONESTE QUAM VERE sodalitas nominatur.* (id. Att. 10. 1). *Celer tuus DISERTUS MAGIS est QUAM SAPIENS.*

N. B. Si adjectiva vel adverbia comparantur ope *quam*, utrumque erit comparativum; si vero intercedit *magis quam*, erunt positiva. (Liv. 5. 23). *CLARIOR QUAM GRATIOR fuit.* (id. 4. 23). *Aemili contio fuit VERIOR QUAM GRATIOR.* (Cic. Att. 10. 1). *DISERTUS MAGIS est QUAM SAPIENS.*

2.º Si alter terminus nec nominativus est nec accusativus, sed pendet a nomine utriusque termino communi. (Cic. Fin. 3. 22). *ANIMI lineamenta pulchriora sunt QUAM CORPORIS.* (id. Phil. 5. 17). *Saepe VIRTUTIS est QUAM AETATIS cursus celerior.* (id. Sen. 4). *Fabius Maximus IN ARMIS non prae-stantior fuit QUAM IN TOGA.*

282. Necessario usurpatur ablativus, ubi secundus terminus est relativum *qui, quae, quod*. (Cic. Am. 1). *Tum est Cato loquutus, QUO erat nemo fere senior, nemo prudentior.* (Habló entonces Catón, que era casi el más anciano y el más prudente. (id. Off. 1. 83). *Ne offeramus nos periculis sine causa, QUO nihil potest esse stultius.*

283. Melius adhibetur ablativus, quando prior terminus est subjectum propositionis negativae, vel interrogativae quae habeat vim negandi. (Cic. Inv. 1. 55). *LACRIMA NIHIL citius arescit.* (id. Div. 2. 14). *AQUILA volat NULLA AVIS vehementius.* (id. Att. 9. 10). *QUID eorum VICTORIA crudelius? quid funestius?*

N. B. 1.º Comparativa admittunt post se hos ablativos, qui orationem integram suppleant: *opinione* (de lo que se cree), *spe* (de lo que se espera), *aequo, justo* (de lo justo), *solito* (de lo que se acostumbra), *dicto* (de lo que se dice). (Cic. de Cl. Or. 1). *OPINIONE omnium MAJOREM animo cepi dolorem.* (id. Amic. 16). *PLUS AEQUO.* (Quintil. 9. 4). *Membrum LONGIUS JUSTO.* (Liv. 23. 47). *Dicto CITIUS.*

N. B. 2.º Comparativa pro adverbis *multum, paulum, tantum, quantum, aliquantum, nimium, nihil*, assumunt *multo, paulo, tanto, quanto, aliquanto, nimio, nihilo*; quibus accedunt *hoc, eo* pro *tanto, quo* pro *quanto*. (Cic. Off. 1. 26). *QUANTO SUPERIORES simus, TANTO nos geramus SUBMISSUS.* (id. Fam. 10. 9). *Hoc MAJUS habes testimonium amoris mei, QUO MATURIUS tibi quam caeteris, consilia mea volui esse nota* [408].

N. B. 3.º Postulant etiam genitivum vel ablativum cum praepositione *ex*, quum partitionem significant. (Liv. 3. 41). *JUNIORES PATRUM.* (Hor. ad Pis. 366). *O MAJOR JUVENUM.* (Cic. Att. 16. 13). *Epistola EX DUABUS TUIS PRIOR.* (Cl. n. 274).

N. B. 4.º Comparativum absolute positum sine altero termino, aequivalet hispano *algún tanto, bastante, demasiado*. (Cic. Sen. 16). *Senectus est natura LOQUACIOR.* (Los viejos son de suyo un tanto habladores). (id. Sen. 12). *Voluptas, quum MAJOR est atque LONGINQUIOR, omne animi lumen extinguit.*

284. [405]. Quum extrema proportionem carere significamus, si alter terminus est nomen, utimur *quam pro* cum ablativo; si est verbum, *quam ut* vel *quam qui* cum subjunctivo. (Liv. 21. 29). *Praelium ATROCIOUS, QUAM PRO NUMERO pugnantium editur.* (Se traba un combate más porfiado de lo que consentía el número de los combatientes). (Cic. de Or. 3. 6). *Hoc quoque videtur esse ALTIUS, QUAM UT id nos humi strati suspicere POSSIMUS.* (Ov. Met. 6. 195). *MAJOR sum, QUAM CUI POSSIT fortuna nocere.*

285. [398]. Comparativa *plus, amplius, minus*, itemque alia mensuram significantia, junguntur cum *quam* vel sine *quam* nominibus quae magnitudinem significant, nec tamen horum casum immutant. (Caes. B. G. 1. 58). *Spatium quod est non AMPLIUS PEDUM sexcentorum.* (vel *quam pedum...*)